



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas
Gregorii IX. P. M.**

Zoesius, Hendrik

Coloniae Agrippinae, 1691

Titulus XXV. De Clerico percussore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

capta auferri Covarr. ad c. Peccatum pag. 2. §. 8.
num. 2. & 4.

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

SUMMARIUM.

1. Clericus cur interdicta percussio, et usque poena.
2. Clericus qui stetit in pugna vel in factu an irregularis.

Clericum decet mansuetudo, cui repugnat percussio, quae fit facto aut verberate, etiam causa correctionis, cum verbis potius & admonitione, arguendo, obsecrando, increpando, omni patientia & doctrina, sicut dicitur Apollol. 2. ad Timoth. 4. à dictis subditos suos avocare debeant Episcopi, non etiam verberibus; nova enim & inaudita praedicatione quae verberibus exigitur *can. 2. Distin. 45.* Percussor existerens, si monitus se non emendet, à gradu, quem habet, deponendus est *c. 1. h. t.* Episcopus, qui crudeliter mulierem fustigari iusserit, et si ea de causa non sit defuncta, tamen quia ea res ordini non convenit, ab officio Missae duobus mensibus abstinere iubetur, *c. 2. h. t.* Flagellis tamen & virgis cadere, si causa postulet, non est inhibita, ne in vindictam sanguinis transeat, *c. 4. sup. de raptorib.*

Clericus, qui stetit in pugna ex parte repellentium violentiam, in qua aliqui sunt occisi, non ideo est irregularis, etiam si lapides unà proiecerit, nullo percusso; iubetur tamen abstinere à celebratione Missarum per biennium, *cap. 2. hoc tit.* Non esse quoque irregularem, qui in conflictu fuit, in quo commissa caedes, extra eius factum aut consilium, videtur dici *cap. fin. hoc tit.* ut probabiliter ibi descendit Abbas: & facit, quod in *cap. pen. ibid.* in simili ferè casu non ponatur irregularitas. Contra tamen tenet, *Gl. fin. d. c. fin.*

* *
* *

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

SUMMARIUM.

1. Criminalis huius gravitas, & cur peccatum hoc dicatur irremissibile.
2. Blasphemia quibus modis committatur.
3. Est peccatum mortale etiam in materia levi.
4. Poena blasphemis; & an in foro exteriori sit imposita censura.
5. A poena quid excuset, aut eam mitiorem reddat.

Maledica lingua ne quidem Laicis; imputa multo minus Clericis; quae si solvatur in Dei aut Sanctorum eius injuriam, blasphemiam continet, grave continens delictum, vergens in deminutionem divini honoris, per probrosam irreligiositatem. Unde blasphemans contra ipsam Deitatem, impiè agere dicitur, & peccatum committere, quod nec in hoc, nec in futuro saeculo remittatur, *can. qualis dist. 25.* scilicet commissum studio & contemptu, quale peccati genus dicitur commissum in Spiritum Sanctum. Quod autem dicatur irremissibile, accipiendum est de difficultate poenitendi & remittendi, *Gl. in d. c. qualis;* cum opponatur dispositioni necessaria ad peccati remissionem, quam ideo reddit difficilem, non etiam omnino removel, eam nullum sit peccatum, quin remitti possit verè poenitenti.

Committitur autem variè Interdum nudè tantum, citra alterius peccati malitiam, per contumeliam in Deum aut Sanctos eius: nam & in Sanctis suis maledicatur Deus, & in hos prolata verba blasphemia in Deum reducant, ex consequenti scilicet. Covarr. in *c. quamvis De part. in c. p. 1. §. 7. n. 9.* Sicut & De statu relig. *tomo 1. Tract. 3. De irreligios. c. 4. num. 2. & seqq.* Non raro malitia alterius peccati conjuncta est, ut infidelitatis, haeresios, quando ea continet falsitatem contra fidem, formaliter autè virtualiter affirmando aut negando aliquid de Deo quod fides docet veluti *Abnego Deum, non credo in Deum.* Prof. runtur & interdum verba blasphemia citra odium Dei, interdum ex odio